



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

In Avctorem Eivsdem Operis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

IN LIBROS
DE QUATTOR VIRTUTIBVS

R. P. LEONARDI LESSII.



*Q*UIM fertur in igneis quadrigis
Vates raptus ad aethera fuisse:
Vis rapi quoque, Lector? has quadrigas
Virtutum cape, scande: sponsor adsum,
In calum rapieris hisce libris.

I. LIPSIVS pangebatur.

IN AVCTOREM
EIVSDEM OPERIS.



*L*ESSI Theologa potens palæstra,
Diuinæ Sophiæ medulla prima,
Cessas ingenito pudore, cessas?
Nec doctorum hominum volas per ora,
Qui buccis patulis, hiant labro
Illud grande sophos, sophos recantent?
Victuros animi tui labores,
Ac curas decimum preme in annum,
Quæ fractis pluteis, & vngue roso
Dudum perugiles olent lucernas?
Iam, LESSI, fatis est, fat est morarum:
Ex umbra liber expeditus arte,
Arguto liber expolitus vngue,
Venustus liber elegansque totus,
Extremis liber auctus umbilicis
Exemplò in mediam ruat coronam,
Et longas hominum esuritiones
Sua lautitia famemque pascit.
Cessas ingenito pudore, cessas?

Et

Et manus fugis eruditiores?
Nobisque immeritò Iouis cerebrum,
Et cibos nimis inuides Deorum,
Quos docta simul explicas papyro?
Sic squallore, situque araneoso
Felices pateris perire chartas,
Et blattis pretiosa dona condis,
Dona digna magè Indicis lapillis,
Dona Acidalijs priora conchis,
Dona vellere digniora Serum?
Repugnes licet, & seris malignis
Ac valuis adamantinis recondas,
Erumpent tamen, & choro iugatae
Solem bis geminae petent sorores,
Et qualis Philomela lenta ramis
Dulci personat hinc & hinc susurro,
Vocem murmure molliore frangent;
Ac secum facili pioque nexu
Longam post se hominum trahent catenam,
Quae cita properis rotis quadriga,
Quam nobis bonus artifex polisti,
Ad sedes procul euolet piorum.
Ergo de tabula manum seueram,
Censoremque oculum reduce tandem;
Parce tam bona scripta, parce quæso
Infestis obelis necare LESSI,
LESSI Theologia potens palæstra,
Diuinæ Sophiæ medulla prima,
Cessa deposito pudore, cessa.

IACOBVS BONFRERIIVS.